

## PROPOSITIO QUARTA.

*Calvinistarum commentum de Sacramentorum forma promissoria, & concionatoria refellitur.*

§. XIII. Verba, quibus Baptismi & Eucharistiæ Sacramenta conficiuntur, ex Jesu Christi Domini & Servatoris nostri Evangelio habentur; porro verba illa: *Ego te baptizo &c. Hoc est corpus meum &c.* nullam promissionem continent; quid igitur blaterat Calvinus, verba, quibus Sacramenta conficiuntur, esse promissoria? Deinde si verba, in quibus Sacramentorum forma consistit vere consecratoria sunt, vapulat Calvinistica forma promissoria & concionatoria; sunt autem vere consecratoria: idque ex auctoritate Patrum, ex Græcæ & Latine Ecclesiæ concentu, & Ecclesiastica Traditione constat; ergo merum Calvinii commentum est forma illa promissoria & concionatoria. Revera pro auctoritate Patrum legendi sunt *S. Athanasius orat. III. contra Arianos, S. Basilius de Spiritu Sancto cap. 10.*, alique. Utriusque Ecclesiæ consensus ex *Conciliis Nicæno I. Laodicæno Can. 8. Arelatensi primo Can. 8. Tridentino sess. 7. Can. VI.* clarissime elucet. Traditionis immutabilitas & constantia ex eo abunde constat, quod quolibet sæculo hæc fuit Ecclesiæ Matris fides & sententia, verba, quibus Sacramenta conficiuntur, esse vere consecratoria; qua enim ratione, qua de causa quovis tempore irrita, invalida, nulla declaravit Sacramenta, in quibus conficiendis Minister essentialem mutationem formæ induxisset? Proferant Hæretici vel unum Ecclesiasticum Scriptorem, qui Sacramentorum formam promissoriam aut concionariam dixerit. Ne unum quidem producere possunt; cum nos e contra, a Tertulliani tempore bis mille proferre possimus, qui omnes ad unum, verba, quibus Sacramenta perficiuntur, vere consecratoria esse dixerunt.

§. XIII. Tandem si verba, in quibus Sacramentorum forma consistit, concionatoria essent, id vel eveniret ex intentione J. C. & institutione Divina, vel ob necessitatem  
& uti-